

carne generat, sacramentum est, quia istius, quæ A generat in spiritu, sacrum signum est.

Legimus autem Dominum super his, quibus invicem de conjugio complacuit sic dicentem : « Quod Deus conjunxit, homo non separet (*Matth. xiv, 6*). » Hinc est, quod nisi in morte alterius dirimi non potest copula conjugalis. De quo sic Apostolus ad Corinthios scribens ait : « Mulier alligata est, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est a lege viri. Cui vult nubat, tantum in Domino (*I Cor. vii, 39*). » Utroque igitur superstite, superstes et inconvulsa matrimonii lex existit. Sic et spirituale conjugium Christi, et Ecclesiæ nunquam dirimitur, nunquam solvitur, quia nunquam Christus, nunquam Sponsa Christimoritur. « Christus enim resurgens ex mortuis jam non moritur ; mors illi ultra non dominabitur (*Rom. vi, 9*). » Et Apostolus : « Si terrestris, inquit, domus nostra dissolvitur, habemus domum non manufactam, sed æternam in cœlis (*II Cor. v, 5*). » In cœlis igitur uterque vivit, in cœlis alter alteri congau- det. Vivit sponsus in cœlis, anima simul et corpore consummatus. Vivit sponsa in cœlis, nequaquam felicior de glorificato spiritu, quia de glorificanda carne securior. Congaudet sponsus sponsæ, quia abatersit Deus omnem lacrymam ab oculis ejus, et introduxit eam in cubiculum suum. Congaudet sponsa sponso, quoniam sedet ad dexteram majestatis in excelsis, et regnum ejus regnum omnium sæculorum. Hanc profecto congau- dendum vicissitudinem charitas docuit, charitas movit, charitas, ea charitas inextinguibilis, et transire nesciens cum tempore. C

De charitate ista sic Isaias ait : « Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus in Hierusalem (*Isa. xxxi, 9*). » Nostis, fratres charissimi, Sion speculam, Hierusalem vero visionem pacis interpretari. Quare quidem sanctorum animæ, dum mortalitatis hujus circumferunt corpus, in Sion esse dicuntur, scilicet a longe speculantes, qui sperant, et præstolantur mercedem. Erunt autem eadem in Hierusalem, quando, duplici stola suscepta, facie ad faciem Deum videbunt, mutantes imperfectam plenitudine, spem munere, imaginem veritate. In illa Sion erat Apostolus, cum dicebat : « Videmus nunc per speculum in ænigmate (*I Cor. xiii, 12*). » Hanc sibi Hierusalem promittebat, cum submittebat : « Tunc autem facie ad faciem (*ibid.*). » Item idem : « Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum (*ibid.*). » Est igitur ignis in Sion, et caminus in Hierusalem, quia charitatis fervor modicus est in hac vita, plurimus in futura. In hac igniculus, in futura caminus. Hic portio, ibi plenitudo. « Veniet enim quod perfectum est, et evacuabitur quod ex parte est (*ibid.*). » Porro sicut nunquam Christus, nunquam Ecclesia moritur, ita nunquam tam beata inter eos exstinguitur, aut exstinguitur charitas ; nunquam solvitur, aut solvetur eorum beatissimum, et spirituale conjugium. Hujus tamen sacratæ perennitatem copulæ ea stabilitas carnalis conjugii designat, quam viventi viro, et uxori, non homo, sed Deus, non fori lex assignavit, sed poli. Unde et stabilitas hæc sacramentum est, quia sacræ rei signum est.

## VEN. HILDEBERTI OPUSCULA. MONITUM.

Quæ de variis venerabilis Hildeberti Opusculis in nostra generali præfatione notavimus, hic iterum retractare supervacuum esset. Hoc solum te, benevole lector, monitum velimus ita frequenter Hildebertum in epistolis de suis opusculis sermonem habuisse, ut nullum relinquat dubium, quin longe plura scripserit, quam quæ hucusque juris publici facta sunt, quæve hic nostro studio recenter comparata illi proveniunt. Sic nimirum in epistola 2, lib. III, ad Clarembaldum Exoniensis Ecclesiæ canonicum, diserte asserit se *Historiam miraculorum ejusdem Ecclesiæ* scripsisse, quam ad secundum exemplar ei ab hoc canonico transmissum se spondet alio stylo retractaturum ; quam Historiam ex Anglia detegere, per hodiernas turbas nobis non licuit. Præterea epistola 15 ejusdem libri III, Reginaldum divi Augustini monachum sic affatur sub finem : *Noveris me venerari pariter et amplecti quod aliquas positiones ingenioli mei filias, aut nostrorum particulas versuum tuo te operi inseruisse notasti. Tunc enim placere mihi incipio, cum video scripta mea majoribus minime displicere.* Quod indicat jam tunc Hildeberti lucubrationes apud litteratos non modico fuisse in pretio. Epistola etiam 30 ejusdem libri III, ad Willelmum Wincestresem episcopum, sic ad ipsum : *Postulasti enim exarari tibi opuscula mea, et exarata transmitti. Quo audito hæsi diutius, vel amicum offendere metuens, vel risum legentibus suscitare.* Ita humillimus auctor opera propria vilipendit, quæ doctiores tanti pendebant, ut eorum fragmentis ornare sua scripta non dubitarent.

Porro, utrum exceptiones, seu excerptiones Juris, quas huc usque editores omnes Bibliothecæ Patrum nostro tribuerunt Hildeberto, et quas hic pro epistola 53 lib. II, damus, eæ ipsæ sint quæ totidem verbis Præfationem Ivonis in suum Decretum inchoant, perspicacior judicet Lector. Nos interea compertum habemus ex ejusdem Hildeberti epistola 27 lib. II ipsum Excerptiones Decretorum, quas in unum volumen, ut ait, *ordinare disposuerat, et quarum jam partem expleverat, inchoasse* : quas quidem per curas episcopales non illi licuit absolvere, sed quas iis, quantocius posset, excussis ibidem se spondet ad umbilicum deducturum.

Quæ autem opuscula hic damus, et manuscriptis codicibus optimæ notæ, iisque pro majori parte cœvis, qua potuimus sagacitate et diligentia eruimus, et quos ad cujusque opusculi caput indicare curavimus. His frui, benevole Lector, et, si quid minus exacte discretum forte deprehenderis, cum id ipsum, quodcumque sit illud, nihil nisi orthodoxum, et bonis moribus consonum offerat, nostros saltem conatus tua, obsecro, benignitas excuset.